

Publicae scholae officii quicumque obstrictus modo hac modo illa disciplinarum materia animum cogitur imbuere, quo diligentius atque accuratius illius muneris negotiis studuerit fungi, eo artius contracta habebit provecta ille quidem aetate temporum spatia, quibus ad ea studia revertatur, unde ei maxima olim redundabat animi oblectatio. Attamen quaeretur ab eodem atque invenietur nonnunquam tantum saltem otii quamvis angustis finibus circumscriptum, ut colligantur illa quidem et componantur, quae, cum scriptores poetasque aut interpretaretur aut secum ipse legeret ac relegeret, hic illic in mentem venerunt. Itaque ex collegarum numero cum is, qui his scholae annalibus de suo se aliquid esse praemissurum promiserat, in morbum satis diuturnum ac languidum incidisset ita, ut naturae iniquitate impeditus non posset stare promisso, eius ego vice functus nonnullas adnotationes criticas, quas antiquos lectitans scriptores priscum secutus morem latino sermone libellorum olim margini adscripsi, hac occasione data colligere et, quamvis essent exiguae ac pusillae, publici iuris facere constitui.

Ac quoniam maxime usque operam dedi Luciani libris legendis¹⁾, ita dissertationem instituiam, ut a Luciano profectus ea ubique addam, quae apud alios quoque scriptores et graecos et latinos mihi videor invenisse.

¹⁾ De locis Lucianeis disserui in 'Observat. criticae in Lucianum' (Progr. der Königl. Ritterakademie Liegnitz 1880), 'Lectiones Lucianae' (Commentationes philol. in honorem Aug. Reifferscheid Breslau 1884), 'De nonnullis glossematis, maxime Galenianis' (Festschrift zur Feier des 25jährigen Bestehens des Gymnasiums zu Jauer 1890).

I.

Primum quidem eiusmodi locos proponam, quibus intercidisse videntur aut singulae litterae aut totae voces, sive id socordia factum est scribentium, quorum oculi ob litterarum similitudinem ab altera voce ad alteram aberrarent, sive scioli librarii stulto corrigendi studio mutata sunt, quae si integra tradidisset, maiorem nos illi gratiam deberemus.

Luciani Abdic. 6. Abdicatus aliquis medici artem professus cum patrem amentia captum ceteris medicis desperantibus ad sanam reduxisset mentem, in suam gentem receptus est. Qui quod paulo post novercae simili morbo vexatae bonam animi valetudinem restituere non poterat, in eo erat, ut denuo ex gentilium societate removeretur. Quam ob rem apud iudices sese defendens: Noverca, inquit, mira quadam vesania vexatur. *Πρὸς μὲν γὰρ τοὺς ἄλλους ἡμερωτέρα καὶ πραεῖά ἐστι καὶ παρόντων εἰρήνην ἄγει ἢ νόσος, ἂν δὲ τινα ἰατρὸν ἴδῃ καὶ τοῦτ' ἀκούσῃ μόνον, κατ' ἐκείνου μάλιστα παροξύνεται.* Non habes, quo neutrius generis verba referas *τοῦτο . . . μόνον.* Sententia autem, quam suis exprimere verbis studuit auctor, nimirum haec est: sin aut videt medicum aliquem aut ipsum medici nomen audit, contra incipit furere. Post *τοῦτο* igitur addendum est *τὸ ὄνομα*, quod, quoniam litterarum forma haud ita multum differt a vocula *μόνον*, ob id ipsum a scriba aliquo videtur omissum.

Abdic. 26. locum ita censeo esse supplendum: *μάθοιτ' ἂν ὡς οὔτε πάντα ἡμῖν (sc. medicis) δυνατά ἐστιν οὐδ' αἱ τῶν νοσημάτων ἀπάντων φύσεις παραπλήσιοι:* intellexeritis neque omnia nos posse neque omnium morborum naturas esse similes. Deest in libris manuscriptis vox *ἀπάντων* eadem desinens in litteras, in quas desinit antecedens vox *νοσημάτων*. Quam vocem nisi restitueris, claudicabit sententia; nam multi profecto morbi inter se similes vel eiusdem sunt naturae, at non omnes.

In **Abdic. 30.** dementiae exponuntur causae, quae sint aliae in maribus aliae in feminis: *καὶ τῶν ἀνδρῶν αὐτῶν τοῖς μὲν νέοις ἄλλαι, τοῖς δὲ γεγηρακόσι διάφοροι, οἷον νέοις μὲν*

πληθους ὡς τὸ πολὺ, γέροντας δὲ sqq. Ubi notio πληθους quid sit, haerent interpretes. Suspicerer equidem Lucianum scripsisse ἀπληστίαν — quod esse gravissimum animi malum affirmat Galenus (περὶ ψυχῆς παθῶν IX) —, nisi id nimis recederet a traditis litteris. Madvigius (Advers. crit. I 690) quod legi vult γῆθος, minorem id habet vim quam quae ad hunc quadret locum. Propius abest a vero Herwerdenius, cum corrigit πάθος; at iuvenes mentis fiunt expertes non uno animi affectu, sed affectuum multitudine. Eadem causa prohibemur probare P. R. Mülleri coniecturam πόθος (Neue Jahrb. für Philol. u. Paedagog. 1897 S. 403). Forsitan hoc quoque loco oppressum sit aliquid scribentium socordia ac scriptum fuerit olim παθῶν πληθους. Quorum nominum cum utrumque habeat fere idem ductuum initium, facile fieri potuit, ut scribae oculi ab altero transirent ad alterum.

In **Bis acc. 4.** simile scripturae mendum erit agnoscendum. Iovi cum questus sit, quod homines aegre ferant tot tantaque iudicia ab ipso neglecta iacere, Mercurius se quoque respondet saepe audivisse homines ea de re frementes ac murmurantes neque antea ausum esse patri id referre. Qua re audita Juppiter: *Τι οὖν, ὦ Ἑρμῆ, δοκεῖ; προτίθεμεν αὐτοῖς ἀγορὰν δικῶν, ἢ θέλεις ἐς νέωτα παραγγελοῦμεν;* Ad quae Mercurius: *Ὁδὲ μὲν οὖν, ἀλλ' ἤδη προθῶμεν.* Hic recte Cobetus (Mnem. III 163) pro *προτίθεμεν* et *παραγγελοῦμεν* commendat coniunctivum dubitativum *προθῶμεν* et *παραγγείλωμεν*; improbandum autem videtur, quod Herwerdenius verba *θέλεις* et *παραγγελοῦμεν* et *προθῶμεν* ut additamenta interpretum censet removenda. Desideratur nimirum in Iovis verbis prope verbum *προθῶμεν* aliquid, quod respondeat vocibus *ἐς νέωτα*, quae exstant ante *παραγγείλωμεν*. Fungi potest eo munere adverbium *ἀδτικα*, quod ante *αὐτοῖς* scriptum inter scribendum temere omissum est. Quod si inseruerimus, hanc habebimus Iovis interrogationem: 'Utrum statim eis instituamus iudiciorum nundinas an vis in novum annum edicamus?'

Nec dubitaverim in **Bis acc. 27** verba Rhetoricae Luciani animum accusantis ut ingratum hoc modo complere: *ἀπολιποῦσα*

τοὺς ἄλλους, ὅποσοι ἐμνηστεύοντό με πλούσιοι καὶ καλοὶ καὶ λαμπροὶ τὰ προγονικά, τῷ ἀχαρίστῳ τούτῳ ἐμαντὴν ἐνεργήσα πένητι ὄντι καὶ ἀφανεῖ καὶ νέῳ. Nam aliis commemoratis, quos dimisit Rhetorica, necesse erat Lucianum ipsum pronomine demonstrativo τούτῳ designari. Adiectiva autem πλούσιοι καὶ καλοὶ καὶ λαμπροὶ cum ὅποσοι coniuncta substantivorum locum obtinent; adiectiva πένητι cett. enuntiatii loco posita concessivi indigent participio ὄντι addito.

In **Anach. 23** spectaculorum vim Socrates laudat ad educationem pertinentem. Qui cum his verbis finem faciat: τοῦτοις δ' ὄν ἄπασι καὶ τοῖς τοιούτοις παραθηγόμενοι τὰς ψυχὰς ἀμείνους ἡμῖν γίνονται, subiectum desideratur totius enuntiatii. Quoniam autem universa eius verba ad iuvenum spectant educationem, scripsisse puto Lucianum παραθηγόμενοι οἱ νέοι.

In **Anach. 24** deest obiectum. Nam idem Socrates gymnasticarum utilitatem extollens exercitationum: δῆλον γὰρ, inquit, ὅτι καὶ πολεμικῶ ἀνδρὶ ὁ τοιοῦτος συμπλακεῖς καταρρίψει τε θάττον ὑποσκελλίσας. Nonne coniciemus post adverbium θάττον excidisse ob ductum similitudinem ἀπότον?

Duplici eiusdem generis vitio laborare videtur **Toxar. 50**. Lonchates amicus amico, qui Leucanoris, Bosporanorum regis, filiam in matrimonium cum postularet repulsam tulerat, pollicitus est sese regis caput decisum in patriam secum esse relaturum. Qui in Bosporanis peregrinatus se pactionem quandam initurum simulans adhortatus est regem, ut iurisiurandi causa in Martis templum secum intraret. Iam legendum censeo: Εἰσὶώμεν, ἔφη ὁ βασιλεύς, ἐπεὶ δὲ οἱ μὲν εἰσῆλθον, οἱ δορυφόροι δὲ ἀπέστησαν, σπασάμενος ἐκεῖνος τὸν ἀκνάνην ἐπισχὼν τῇ ἐτέρᾳ τούτου τὸ στόμα, ὡς μὴ βοήσῃε, παῖει παρὰ τὸν μαστόν. Desunt in libris pronomina ἐκεῖνος et τούτου. Quae nisi erunt restituta, non poterit intellegi, uter utrum necaverit.

In **Dial. marin. XIV 4**, ubi Iphianassa, Nerei filia, conqueritur Andromedae sortem, quae nihil mali commiserit erga Nereidas, εἶ τι ἢ μήτηρ ἐμεγαλανχεῖτο καὶ ἤξιον καλλίων

ελναι, post *καλλίων* inseram *ἡμῶν*, cuius vocis forma proxime accedit ad formam vocis *καλλίων*.

In **Conviv. 13** ingens ille parasitus Alcidas narratur sella repudiata inambulans coenasse Scytharum modo *πρὸς τὴν ἀφθονωτέραν νομὴν μετεξανιστάμενος καὶ τοῖς περιφέρονσι τὰ ὄψα συμπερωστών*. Qui cum non semel locum mutaverit, sed saepe atque identidem eo se contulerit, ubi uberrime videret epulas apparatus, corrigendum videtur *ἀφθονωτέραν ἀεὶ*.

Quo vero breviores sunt voculae, eo saepius sunt oppressae. In **Dial. deor. VIII** vocula *οὐ* videtur supplendum ante *χορῆ*. Juppiter enim caput suum diffindi iubet a Vulcano, ut inde evadat Minerva. Iam si Vulcani haesitantis legimus verba: *Ἄκων μὲν, κατοίσω δέ· τί γὰρ χορῆ ποιεῖν σοῦ κελεύοντος*; haec interrogatio quae sit, intellegi non potest, nisi legitur: *τί γὰρ οὐ χορῆ....*, ita ut haec efficiatur sententia: 'Invitus ego quidem; attamen feriam; nam quid non oportet facere te iubente?'

Alia vox exigua excidisse videtur in **Tox. 41**. Ubi Toxaris praedicat par amicorum, quorum alter, ut alterum ab hostibus captum solveret, suos ipse sibi oculos effodi passus est. Quod omnibus Scythis ait, cum ab hostibus essent victi, tanto solacio fuisse, ut iam se domitos non putarent, cum viderent summum sibi bonum non ab hostibus esse ereptum, *ἀλλ' ὅτι ἦν παρ' ἡμῶν ἡ ἀγαθὴ γνώμη καὶ ἡ πρὸς τοὺς φίλους πίστις*. Deest hic vocula *ἔτι* post *ὅτι*; nam eisdem virtutibus iam ante cladem illam vel maxime erant gloriati.

Non raro videmus pronominum formas scribarum socordia oppressas. Veluti in **Dial. meretr. VI 1** matris verba mortem patris cum filia conquerentis eiusque artem ferrariam laudantis ita esse supplenda existimo: *μετὰ δὲ τὴν τελευτὴν αὐτοῦ τὸ πρῶτον ἀποδομένη τὰς πυράγρας* sqq. In libello qui est **De luctu 2** Lucianus vanam hominum de inferis opinionem perstringens Iovis fratrem dicit ibi regnare, Plutonem *διὰ τὸ πλουτεῖν τοῖς νεκροῖς τῆ προσηγορίᾳ τετιμημένον*. Nonne legendum est *ταύτῃ τῆ προσηγορίᾳ*? **De luctu 19** puer mortuus, qui fingitur vanitatem irridens luctus et lamentationum patris: *τί*

δέ με, inquit ὁ κωκυτὸς ὑμῶν ὀνίνησι καὶ ἡ . . . στερονοτυπία καὶ ἡ . . . ἀμετρία; τί δὲ ὁ ὑπὲρ τοῦ τάφου λιθος; ἢ τί ὑμῖν δύναται τὸν ἄκρατον ἐπιχεῖν; Quid? cum ubique nominibus, quae praecedunt, articulus sit praemissus, nonne Lucianus scripserit: τὸ τὸν ἄκρατον ἐπιχεῖν? Nec non in **Anach. 27** articulus τοῦς post pronomen οὔτος intercidit. Sermo enim est de ludo disci iaciendi, qui his verbis laudatur: καὶ ὁ πόνος οὔτος (hic restituendum videtur τοῦς) ὄμους τε ἀδῶν κρατύνει καὶ τόνον τοῖς ἄκροις ἐπιτίθησιν. Similiter in **Conviv. 13** corrigendum videtur: Ἄπαγε, φησί, γυναικεῖον λέγεις καὶ μαλθακὸν τὸ ἐπὶ θρόνου καθίξασθαι.

In **Prometh. s. Caucas. 2** Prometheo Vulcanum Mercuriumque imploranti, ut ipsius eos misereat, respondet Mercurius· Τοῦτο φήs, ὦ Προμηθεῦ, τὸ κατελέησατε ἀντὶ σοῦ ἀνασκολοπισθῆναι αὐτίκα μάλα παρακούσαντας τοῦ ἐπιτάγματος. Quibus verbis sanandis viri docti operam navarunt iam multi. Ac Dindorfius et Fritzschiuss expunxerunt τὸ κατελέησατε ut interpretamentum pronominis τοῦτο, cum Madvigius eandem notionem commutaret in τὸ κατελέησαι et articulum τὸ iniceret ante ἀντί. Sommerbrodtius autem verbis τὸ κατελέησατε e textu remotis porro scripsit ἀντὶ τοῦ ἀνασκολοπισθῆτε ἅμ' αὐτίκα. At sive retinueris illa verba sive eieceris, levioe mutatione sanari posse videtur locus: legas Ταῦτο pro Τοῦτο et restituas articulum τῶ ante verba ἀντὶ σοῦ ἀνασκ. Haec evadet sententia: 'Idem ais ac cruci quam celerrime affigi tuo loco nos non oboedientes imperio'.

In **Phalar. A 4**. Phalaris cives, qui contra ipsum coniuravissent, inter tormenta confessos esse dicit, quas poenas in tyrannum constituissent. Iam si haec legimus: τοῦ μὲν δὴ μηδὲν παθεῖν τοιοῦτον οἱ θεοὶ αἴτιοι, desiderantes subiectum verbi παθεῖν suspicari cogimur post μηδὲν voculam με oppressum esse propter similitudinem antecedentium litterarum.

Transeo ad eos locos, qui in aliis scriptoribus Graecis mihi occurrerunt eodem modo maculati. **Galenus περὶ ψυχῆς παθῶν IV 15**: Si quis, inquit, quinquaginta annos natus aegrotaret corpore, id non pateretur malo habitu laborare, sed ad meliorem statum perducere enixe studeret, etiamsi Herculis illius

robur ac valetudinem assequi non posset. Proinde ne nos quidem desinamus ad meliorem habitum perducere animum: sin minus poterimus sapientis ψυχὴν adipisci, ἀλλὰ μάλιστα μὲν ἐλπίζομεν ἔξειν (sic Marquardtius pro ἔχειν) κἀκείνην, ἂν ἐκ μειρακίου προνοώμεθα τῆς ψυχῆς ἡμῶν, εἰ δὲ μή, ἀλλὰ τοῦ γε μὴ πánαισχροι ταύτην γενέσθαι, καθάπερ ὁ Θεοσίτης τὸ σῶμα, φροντίζομεν. Manca est sententia. Nam quid ἔξειν κἀκείνην? Cum assequi non possimus animum sapientis, num eundem sperabimus tamen nos esse habituros? Mira profecto haec adhortatio! Deest aliquid, ni fallor, post vocem κἀκείνην. Forsitan scripserit Galenus κἀκείνην ὀγιεινὴν (speremus nos animum quoque esse habituros sanum). Scriba aliquis cum priorem vocem chartae mandasset, eius fine deceptus alteram quoque vocem similiter cadentem sese iam scripsisse existimabat.

Simili vitio laborant verba **Aristot. π. ποιητ. 5**: τῶ (sic viri docti pro τὸ) δὲ τὸ μέτρον ἀπλοῦν ἔχειν καὶ ἀπαγγέλλαν εἶναι ταύτη διαφέρουσιν. Sermo est de discrimine inter epica carmina quod intercedat et inter tragoedias. Quod autem illis verbis dicitur, simplex habere metrum et esse narrationem, id ad unam pertinet artem epicam, non ad tragoedias et epica carmina. At id ipsis traditis verbis non habebis expressum, nisi inter verba ἔχειν et καὶ inserueris ἐκείνην. Eadem offensione adductus Spengelius ita locum proposuit mutandum: ἀπλοῦν ἔχειν καὶ . . . ταύτην (libri exhibent ταύτη) διαφέρουσιν. Qui, ut pronomem ταύτην recte referretur ad epicam artem, non ad tragoediam, in initio antecedentis enuntiatii verba: ἡ μὲν οὖν ἐποποιία τῆ τραγωδία . . . ἠκολούθησεν, etiamsi non, ut ipse ait, de temporali ordine cogitavisset, ita mutare verborum ordinem cogeretur: ἡ μὲν οὖν τραγωδία τῆ ἐποποιία ἠκολούθησεν. Quae mutatio nimis digredi videtur a codicum scriptura.

Duae voces inter scribendum in unam coaluisse videntur in **Galeni π. ψ. π. IX 49**. Ubi Galenus de nimia habendi cupiditate exponens: Tu quidem, inquit, si contemplatus eris cives nostros omnes, non multos invenies te ditiores, ita ut

ceteris omnibus tu ipse sis ditior. Iam cum civium nobis sint fere quadraginta milia, si insuper tu eis adnumeraveris mulieres servosque: *εὐρήσεις σεαυτὸν δώδεκα μυριάδων ἀνθρώπων οὐκ ἀρκούμενον εἶναι πλουσιώτερον ἀλλὰ καὶ τούτους βουλόμενον ὑπερβαλέσθαι*. Quales pronomine *τούτους* designentur, non video, cum ad alios illa vox referri nequeat nisi ad *δώδεκα* illas *μυριάδας ἀνθρώπων*. Corrige *τούτων πλείους*, ut haec fiat sententia: 'Non satis habens centum viginti milia hominum superasse divitiis, sed etiam plures superare cupiens'.

Coniciendo si quid addideris, quod temporum iniquitate evanuit, sanabis **Galenī π. ψ. ἀμαρτ. III 71**, ubi haec inveniuntur in libris tradita: *Ὡσπερ οὖν οἱ Κυνικοὶ πάντες, οὓς γε δὴ τεθέαμαι κατὰ τὸν ἔμαντοῦ βίον, οὕτω καὶ τῶν φιλοσοφεῖν* (sic legendum statuo cum Marquardtio pro *φιλοσόφων εἶναι*) *ἐπαγγελλομένων ἔνιοι φεύγειν ὁμολογοῦσι τὴν ἐν τῇ λογικῇ θεωρίᾳ γυμνασίαν*. Quid? In eis, qui *φιλοσοφεῖν ἐπαγγέλλονται*, nonne Cynici quoque sunt numerandi? Age suppleas id, quod nescio quo pacto excidit: *καὶ τῶν ἄλλων φιλοσοφεῖν* — —; clara et dilucida fuet oratio.

In **Galenī Protrept. XIII 34** de Milone illo Crotaniata agitur, homine corpore valido sed prudentiae experti. Qui olim iuvenem conspicatus truncum cuneis immissis in longitudinem diffidentem amovit ridens et solis ipse manibus truncum divellere est conatus. Et contigit ei quidem, ut omnibus viribus innixus utrimque partes ligni dimoveret. At cum cunei excidissent, reliquam ligni partem dirimere non potuit, quamvis obniteretur, *ὑστερον δὲ νικηθεὶς οὐκ ἔφθασε κομίζεσθαι τὰς χεῖρας, ἀλλ' ὑπὸ τῶν μερῶν τοῦ ξύλου συνελθόντων ἀλλήλοις καταλειφθεῖσαι συνετριβήσαν μὲν αὐταί* Nonne hic legendum sit *οὐκ ἔφθασεν ἐκκομίζεσθαι*? Nam ex trunci rima eum extrahere necesse fuit manus. Quae cum a trunci partibus in unum iterum coeuntibus non relictæ sed deprehensæ contererentur, porro corrigendum videtur *καταληφθεῖσαι*.

In **Plutarchi Caes. 20**: *Εἰ δὲ μὴ Καῖσαρ ἀρπάσας τὸν θυρεόν* coll. *Caes. Bell. gall. II 25*: ,scuto ab novissimis

uni militi detracto' correxerim του τὸν θυρεόν (alicuius scutum). Tam parvulas voces facillime suppressas esse ob litterarum similitudinem iam supra commemoravimus. Cuius rei exemplum exstat etiam in **Platonis Protagora**, ubi in capite 16 exponitur, si reipublicae fundamentum collocatum esset non tam in iustitia et in legibus colendis quam in arte tibiis canendi, et si alter alterum hanc artem docere studeret, tamen non omnes eximios futuros esse tibicines. Iam si haec verba sequuntur: ἀλλ' οὖν ἀλλήται γοῦν πάντες ἦσαν ἱκανοὶ ὡς πρὸς τοὺς ἰδιώτας καὶ μηδὲν ἀλλήσεως ἐπαίοντας, desideratur particula ἄν, quae socordia scribarum facile excidit post ἦσαν. Universa enim sententia describitur res ficta et excogitata, et cum antea ubique et semper addita appareat ea particula, ne hoc quidem in enuntiato illam omissam fuisse censuerim.

Haec habui quae eiusmodi ex graecis proferrem litteris; venio nunc ad scriptores latinos. **Liv. XXIII 5** narrat post Cannensem cladem Varronem consulem Campanorum legatis calamitatem Romanorum conquerentibus omniaque quae ad bellum opus essent offerentibus dixisse in tanta clade paene illis bellum suscipiendum esse pro Romanis. Meminissent propter ipsos bellum cum Samnitibus per centum prope annos variante fortuna eventum Romanos tulisse. Iam vero: 'Adicite, inquit, quod ad extremum, id quod ante Cannensem certe cladem maximum fuit, civitatem nostram magnae parti vestrum dedimus communicavimusque vobiscum. Itaque' Non bene quadrare extrema verba ad antecedentia, in quibus agitur de civitate data, satis exposuit H. J. Müllerus in adnotatione huius loci; qui post vocem 'vobiscum' supplementum censet aut 'conubium' aut 'republicam'. At illud non satis magnam vim habet, hoc cur interciderit non video. In insequentibus autem verbis cum exstet 'communis patria' et cum sequantur verba: 'non cum Samnite aut Etrusco res est, ut, quod a nobis ablatum sit, in Italia tamen imperium maneat', nonne inde collegendum est etiam supra scriptum fuisse ipsum nomen 'Italiam'? Quod nomen facile omitti potuit

ante coniunctionem Itaque, cuius initium easdem praebet litteras.

Ciceronis Phil. or. IV cp. 6 in verbis: 'senatum, id est orbis terrae consilium' inter duo extrema verba casu aliquo excidisse censuerim 'amplissimum'. Nam aliis quoque locis senatus non tam consilium orbis terrae vocatur quam consilium aut amplissimum aut summum. Veluti in Cic. Phil. III cp. 14 exstat: 'et amplissimi orbis terrae consilii principes vos esse aliquando recordamini' et ib. VII cp. 7: 'Turpe est summo consilio orbis terrae'. Alia vox videtur oppressa in **Cic. Phil. or. VI cp. 3**: 'Passurumne censetis Antonium introire Mutinam legatos, exire inde tuto? Nunquam patietur, mihi credite. Novi violentiam, novi impudentiam, novi audaciam'. Haec verba ut suppleamus 'Novi hominis violentiam', non tantum eo adducimur, quod accusativi non habent, ad quem referantur, sed insequentis enuntiati verbis: 'Nec vero de illo sicut de homine aliquo debemus, sed ut de belua aliqua cogitare'. Levius detrimentum accepit alius locus **Phil. or. VIII** qui invenitur in cp. 4. Ubi Cicero opprobrat Fucio, quod de Iulii Caesaris regno olim conquestus iam pacem commendet cum Antonio faciendam: 'Quin etiam, inquit, de illo homine queri solebas; quid te facturum de belua (sc. de Antonio) putas?' Desideratur pronomen 'hac' ante 'belua', quod pronomini 'illo' satis respondeat.

Cicero in **Tusc. disput. V cp. 11** cum A. colloquens de genere disputandi cum inconstantiae videatur accusatus: 'Cum aliis, inquit, isto modo (sc. disputes), qui legibus impositis disputant: nos in diem vivimus; quodcunque nostros animos probabilitate percussit, id dicimus; itaque soli sumus liberi. Verum tamen' Non est quo hic pertineat 'soli'. Neque enim tam dicere vult Cicero, sibi soli esse vindicandam dicendi libertatem quam omnino sibi licere libere dicere. Oppressit nonnullas litteras socors quidam librarius; Cicero, opinor, scripsit 'soluti sumus liberique'. Vocula 'que', cuius extremas duae litterae congruant cum initio vocis 'verum', fieri potuit, ut neglegeretur. Conferenda autem est eadem coniunctio adiec-

tivorum 'solutus' ac 'liber' in Cic. de divin I 2: 'cum animi motu ipsi suo soluto et libero invitarentur'.

In **Tacit. Ann. II ep. 21**: 'Iamque sero diei subducit ex acie legionem faciendis castris: ceterae ad noctem cruore hostium satiatae sunt'. Efficit vox 'ceterae' ut Tacitum scripserissemus: 'Legionem unam. Eadem vocula desideratur **ib. ep. 26**: 'Precante Germanico annum efficiendis coeptis'. Utroque enim loco facile fieri potuit, ut post nomen similiter cadens adiectivum numerale omitteretur.

In **Ann. II ep. 43** Tacitus narrat Germanico alienationem patris amorem apud ceteros auxisse: 'et quia, inquit, claritudine materni generis anteibat, avum M. Antonium, avunculum Augustum ferens. Contra Druso proavus eques Romanus Pomponius Atticus dedecere Claudiorum imagines videbatur'. Non habet dativus 'Druso', unde pendeat. Nam licet multis locis Tacitus liberius usurpaverit dativum commodi (cf. Draeger, Übersicht des Tacit. Sprachgebrauches § 32), tamen hoc loco dativus ille prope genitivum 'Claudiorum' positum vix ferri potest. Quamobrem sunt, qui virgula post 'Druso' posita interpretari conentur: 'anders bei Drusus', ita ut sua cuique mens sententiam suppleat ex antecedentibus. At planius fit totum enuntiatum addito ante infinitivum 'dedecere' pronomine qui: „Dagegen hatte Drusus zum Urahn den röm. Ritter Pomponius Atticus, der dem Stammbaum der Claudier Schande zu machen schien“.

In **Tac. Ann. III ep. 62** haec leguntur: 'Exin Cyprii (sc. exposuere) tribus de (hanc praepositionem iure inseruit Bezenbergerus) delubris, quorum vetustissimum Paphiae Veneri auctor Aerias, post filius eius Amathus Veneri Amathusiae et Iovi Salaminio Teucer, Telamonis patris ira profugus, posuissent'. Difficultatem interpretandi efficit nomen 'auctor'. Nam Aeriam conditorem fuisse templi illius, id quod in Taciti hist. II ep. 3 commemoratur, satis videtur expressum verbo 'posuissent'. Eundem fuisse primum trium conditorum, cuius exemplum posteris proponeretur, voce 'vetustissimum' denotatur. Fuit Aerias generis auctor, iuxta quem mentio fit filii. Litterae autem vocis 'generis' tam prope accedunt ad

litterarum formam nominis 'Veneri', ut illas liceat suspicari ob eam causam in veteribus libris esse omissas. Nec non in **Ann. XI cp. 14**, ubi explicatur, quomodo latinarum ortae sint litterarum formae, verba: 'Sed nobis quoque paucae primum fuere, deinde additae' ita restituerim, ut ante 'additae' suppleam 'aliae'. In **Ann. XII cp. 51**, ubi scriptum videmus: 'post festinatione continua, ubi quati uterus et viscera vibrantur, orare (sc. uxor Radamisti), ut morte honesta contumeliis eximeretur', haud dubium videtur, quin scriptum fuerit 'quatitur uterus'; nam quicumque legit haec verba, offenditur infinitivo historico cum finiti verbi forma coniuncto.

De loco alio ex **Tac. Hist. I 69** sumpto accuratius iam exposuit Wölflin Philol. XXIII pg. 135. Aventici, quod est Helvetiorum oppidum, legati ad Vitellium missi primum quidem implacabiles invenerunt animos et imperatoris et militum. Claudio autem Cosso, uni ex legatis, homini notae facundiae, tandem contigit, ut sua dicendi arte animos placaret. Iam vero haec legimus tradita in libris manuscriptis: 'Ut est mos vulgus mutabile subitis et tam pronum in misericordiam quam immodicum saevitia fuerat, effusis lacrimis et meliora constantius postulando impunitatem salutemque civitati impetravere'. Quorum in initio verborum quod Heraeus pro vocula 'mos' restituit 'mox' ordine ita mutato: 'mox ut est vulgus sqq.', Wölflin satis exemplis argumentisque id probavit et codicis Budensis auctoritate firmavit. Displicet autem, quod idem haec dicit: „Dafs zu 'impetravere' nicht die helvetischen Gesandten, sondern die römischen Soldaten Subjekt sind, hat Heraeus richtig bemerkt“. Nam praeterquam quod in altero enuntiato singulari forma 'vulgus', in altero plurali verbo 'impetravere' eidem denotari putantur milites, vix equidem crediderim eosdem milites, qui paulo ante excidium poposcerant et tela ac manus in ora legatorum intentaverant, sola Cossi oratione subito ita commutatos esse, ut lacrimas effunderent. Immo legati cum animadvertissent milites Cossi verbis commotos, lacrimis ipsi effusis meliora constantius postulando impunitatem salutemque civitati impetraverunt. Quae sententia effi-

cietur, ubi persuaserimus nobis Tacitum scripsisse 'civitati legati impetravere'.

In **Hist. IV 71** Tacitus narrat Petilium Cerealem Rigodulum venisse, quem locum magna Treverorum manu Valentinus insecidisset montibus aut Mosella amne saeptum; et addidisse eum fossas obicesque saxorum. 'Nec, inquit, deterruere ea munitamenta Romanum ducem spreto hoste; quem temere collectum haud ita loco iuvare, ut non plus suis in virtute foret'. Claudicat sententiae exitus; nam deest genetivus pendens ex comparativo 'plus'. Qua de causa proposuerunt Ritterus addendum 'roboris' ante 'foret' et Heraeus 'praesidii' aut ante aut post 'foret'. At nihil habent auxilii in traditis litteris. Suspicio ego quidem olim scriptum fuisse 'plus salutis suis', mediam autem vocem ob litterarum similitudinem esse oppressam.

In **Apul. Metam. VI 3** Psyche maritum dies noctesque quaerens fanum sollerti fabrica exstructum prospicit et sacris foribus appropinquat: 'Videt dona pretiosa et lacinias auro litteratas ramis arborum postibusque suffixas, quae cum gratia facti nomen deae, cui fuerant dicata, testabantur'. Nomen ipsum deae cum hic non commemoretur, Psyche autem eam protinus appellet: 'Magni Iovis germana et coniuga' suspicio scriptum fuisse de(orum regin)ae.

II.

Locis adhuc perlustratis genuina scriptorum verba ita videbantur vitiata, ut aut singulae litterae aut totae voces omitterentur. Sunt etiam, ubi alieni aliquid orationi suspiceris insertum. Atque hic quoque proficisci liceat a **Luciano**. Cuius in **Dial. deor. X 1** Iovis iussu Alcmenen compressuri Mercurius vetat Solem per tres dies illucescere, ut una nox oriatur diuturna. Soli autem interroganti, nonne unius noctis spatium sufficiat Iovis amori, deorum nuntius haec respondet: *Οὐδαμῶς τεχθῆναι γάρ τινα δεῖ ἐκ τῆς ὀμιλίας ταύτης μέγαν καὶ πολὺαθλον θεόν*. Hic adiectiva *μέγαν καὶ πολὺαθλον* melius coniunguntur cum solo pronomine *τινα*, cum novus quidam et adhuc insolitus significetur partus neque hominis nec dei. Ac-

cedit quod paulo inferius legitur ἔστ' ἂν ἐκεῖνος ἀποτελέσῃ τὸν ἀθλητήν, ὃν λέγεις. Itaque quoniam vox θεόν est supervacanea, ex dittographia censeo eam natam extremæ syllabæ antecedentis adiectivi πολυάθλον. Non minus superfluum est in **Dial. deor. I** nomen αἰετόν. Nam quod Prometheus: ,Nonne iam satis, inquit, poenæ solvi tantum temporis Caucasō adfixus τὸν κάκιστα ὀρνέων ἀπολούμενον τρέφων ἥπατι;' languidum hic est nomen αἰετόν, quod in libris mss. post participium ἀπολούμενον scriptum invenitur, quippe cum in ipsis Iovis verbis antecedentibus nota illa fabula commemoretur, qua Promethei iecur a vulture traditur devoratum.

Haud raro ad interpretandam alteram vocem alterum nomen synonymum, quod margini erat adscriptum, postea a scribis in textum est receptum. Cuius rei exemplum invenitur in **Dial. deor. XX 4**. Veneri quaerenti cum Mercurius dixerit uxorem esse Paridi Idaeam et interrogaverit, cur tale aliquid quaerat, Venus respondet: Ἄλλως ἠρόμην. Quo facto Mercurius Minervæ, quæ quidem eum cum Venere clam colloquentem animadverterit, interroganti, quid et cur illud Venus sciscitetur: Οὐκ οἶδα, inquit, φησι δ' οὖν ὅτι ἄλλως ἐπελθόν, οὐκ ἐπίτηδες ἤρετο. Bis idem exprimitur verbis ἄλλως et ἐπελθόν; quam ob rem hoc in marginem remittam. Eiusdem est originis participium ὑποδύς, quod in libris exstat iuxta ὑποστάς positum in **Dial. mort. XXVII 3**, ubi Arsacis trucidatio ceteris multo prægressi et a Thrace quodam interempti describitur his verbis: ὑποστάς δὲ ὁ Θραῶς τῇ πέλτη μὲν ὑποδύς ἀποσείεται τοῦ Ἀρσάκου τὸν κοντόν. Similis duplicatio eiusdem notionis occurrit in verbis **Apol. 14**: Siquidem oportet probum virum in rebus gerendis se præstare efficacem, quo alio modo se præstiterit nisi una cum amicis optima intendens κἂν τῷ μέσῳ ὑπαίθρως πείραν αὐτοῦ διδοὺς ὅπως ἔχει πίστεως καὶ σπουδῆς καὶ ἐθνολίας πρὸς τὰ ἐγκειρισμένα . . . Ἐν τῷ μέσῳ (in publico) idem est hoc loco atque ὑπαίθρως (sub divo). Removeatur igitur ὑπαίθρως ut glossema temere in textum receptum. Eadem est origo verborum ἐς τὸ μελάντερον, quæ in **Anach. 25** huic sententiæ apparent inserta: οὔτοι δὲ ἡμῶν ὑπέρουθροι εἰς τὸ μελάντερον

ὕπὸ τοῦ ἡλίου κεχρωσμένοι. Superflua est interpretatio adiectivi ὑπέρονθροι. Nec non in marginem est releganda notio ἢ τὰ ποικίλα **Bis. accus. 19**, adposita ad ἢ κατάγραφος, quo ipso nomine satis significatur Stoicorum porticus. Molestam etiam scioli scribae sapientiam redolent **Adv. ind. 6** verba οἱ πόδες δῆ. Etenim homo admodum dives ambobus pedibus frigore putrefactis et desectis postea ligneis usus pedibus eo risum movebat, quod crepidas pulcherrimas emebat maximeque eis operam dabat, ὡς καλλίστοις ὑποδήμασι κεκοσμημένα εἶη αὐτῷ τὰ ξύλα. Iam satis; languide vero assuuntur verba illa οἱ πόδες δῆ. Quodsi in **Dial. meretr. IX 2** Polemon ex bello rediens narratur τὸ μὲν γὰρ ἀργύριον μηδὲ ἀριθμῶ ἄγειν, ἀλλὰ μεδίμνω ἀπομεμετρημένον πολλοὺς μεδίμνους, quis dubitet extrema verba pro glossemate habere? In **Dial. mer. XII 1** autem, ubi Ioessa Lysiae amico opprobrat, quod tot tamque divites iuvenes ipsa eius gratia non admiserit veluti aequalem eius Melissum, in verbis insequentibus καίτοι ἔναγχος ἀποθανόντος αὐτῷ τοῦ πατρὸς καὶ κύριον αὐτόν ὄντα τῆς οὐσίας vocolae καὶ et αὐτόν utpote similes insequentium syllabarum litteris iniectae sunt a scriba quodam, qui quidem sensum universi loci intellexeret, structuram autem enuntiatum grammaticam non satis perspiceret. Nam hanc sententiam nimirum efficere voluit auctor: 'quamvis potentem rei familiaris patre paulo ante mortuo.'

Bis. accus. 5: Iustitia dea, cum Iuppiter dixerit philosophos ac maxime Socratem docuisse eam praeferendam esse Iniustitiae, per ironiam respondet multum profecto profuisse Socrati de Iustitia sermones, qui quidem cicutam bibere coactus sit: παρὰ τοσοῦτον ὑπερέσχον οἱ κατήγοροι τάναντία περὶ τῆς Ἀδικίας φιλοσοφοῦντες. Hanc librorum lectionem Bekkerus et Fritzscheius nescio qua de causa ita mutaverint, ut pro φιλοσοφοῦντες scriberent alter φλυαροῦντες, alter ληροῦντες. At vitium in verbis περὶ τῆς Ἀδικίας inesse videtur, quae abundant et glossema sunt existimanda ad τάναντία adscriptum. Nam accusatores Socratis ita ab eius philosophia discrepabant, ut non de Iustitia cogitarent sed de Iniustitia.

Nonnullis locis Lucianeis etiam ampliora inveniuntur additamenta, quae expunxisse iuvabit. Veluti in **Hermot.** 40, ubi describitur, qua ratione sortes agonistarum in ludis Olympiis ducantur. Iniciuntur enim in urnam binae sortes littera A notatae, binae littera B, binae littera C, ita ut sortium unius versus numerus numerum adaequet agonistarum. Iam quod porro legimus: *οὕτω μὲν γάρ, ἦν ἄρτιοι ὄσω οἱ ἀγωνισταί, οἶον ὀκτώ ἢ τέτταρες ἢ δώδεκα, ἦν δὲ περιτοί, πέντε, ἑπτὰ, ἑννέα, γράμμα τι περιττὸν ἐνὶ κλήρω ἐγγραφὲν συμβάλλεται αὐτοῖς*, languida profecto sunt ipsorum numerorum exempla. An vero scriptor existimavit inter eos qui legerent fore, qui ignorarent, qui essent numeri pares, qui impares? Immo vero agnoscenda hic est docti scribae sapientia, qui exempla illa margini appinxerit, unde irrepserunt in textum. Quod autem Herwerdenius vocem *οἶον* alteri quoque numerorum seriei praefigendum censuit, id suo ille quidem iure fecit, cum tradita verba servare studeret, sed quod altero loco ea vox adposita est, altero neglegenter omissa, inde vel maxime colligi potest ea verba ab ipso Luciano textui esse omnino non inserta.

Idem studium languide exponendi agnoscas in **Phal. A. 12**. Ubi si ea enumerantur, quae aeneo bovi Apollini consecrato sunt inscribenda, id, quod post verba *τὰ τοῦ σοφοῦ χαλκῆως μέλη* sic legitur: *τὴν πρώτην πεῖραν τῆς μουσικῆς*, merum glossema est. In **Tox. 27** haec legimus: Et Demetrius profectus erat Aegyptum, ut pyramides viseret et Memnona; acceperat enim illas quidem altissimas esse neque umbram praebere, Memnona autem sonare oriente sole. Sequuntur haec: *τούτων ἐπιθυμίας Δημήτριος θέας μὲν τῶν πυραμίδων, ἀκροάσεως δὲ τοῦ Μέμνονος*. Quid? Omnia, quae exstant post nomen Demetrii, nonne superfluum et molestam efficiunt repetitionem ab interprete verbis auctoris insertam? In **Musc. laud. 3**. haec exponuntur: Ex ore muscae dens prominet, quo pungens sanguinem haurit. Quae si statim haec sequerentur verba *οὐ μετὰ μεγάλης ὀδύνης τῶν κεντουμένων*, bene flueret sententia. At turbatur clarus verborum nexus his interiectis: *πλναι μὲν γὰρ καὶ γάλακτος, ἡδὲ δὲ αὐτῶ*

καὶ τὸ αἶμα. Alteram horum verborum partem spuriam iudicat iam Spathius; qui cur non expunxerit omnia, non intellego. Nec non exhibet molestum glossema libellus qui inscribitur **Calumniae non temere esse credendum 5**: ἔστι τολύνη διαβολὴ κατηγορία τις ἐξ ἐρημίας γενομένη, τὸν κατηγοροῦμενον λεληθυῖα. Quid? extrema verba nonne male abundant notionem explicantia ἐξ ἐρημίας? Stultissimum vero additamentum, opinor, exhibet **Piscat. 17**. Lucianus enim contra inimicos suos in litem iturus a Veritate comitante petit, ut Elenchum, argumentorum deum, suo in iudicio manere sinat. οὐ γάρ, inquit, τοῖς τυχοῦσι θηρίοις προσπολεμῆσαι δεήσει με, ἀλλ' ἀλαζόσων ἀνθρώποις καὶ δυσελέγκτοις, ἀεὶ τινὰς ἀποφυγὰς εὐρισκομένοις, ὥστε ἀναγκαῖος ὁ Ἐλεγχος. Quid Luciano in iudicio dum versatur, cum bestiis? Cum τοῖς τυχοῦσι oppositi essent οἱ ἀλαζόνες ἄνθρωποι, sciolis aliquis ad illam vocem sibi persuasit addendum esse θηρίοις, id quod ab universa sententia omnino abhorret.

Venio nunc ad eiusdem generis mendas, quae inveniuntur apud alios scriptores et graecos et latinos.

In **Plat. Polit. 35**. (in.) haec legimus: φασὶ γὰρ δὴ δεῖν, εἴ τις γινώσκει παρὰ τοὺς τῶν ἔμπροσθεν βελτίους νόμους, νομοθετεῖν τὴν ἑαυτοῦ πόλιν ἕκαστον πείσαντα, ἄλλως δὲ μή: 'Si quis noverit leges prioribus meliores, eum aiunt oportere ipsius patriae persuadentem leges ferre; sin minus noverit, non oportere.' Temere aliquis cum et in verbis antecedentibus et in insequentibus legisset praepositionem παρὰ eo sensu usurpatam, ut comparatio efficeretur, hic quoque eandem praescripsit genetivo τῶν ἔμπροσθεν (sc. νόμων), qui ipse quoque vim haberet comparativam. Removenda igitur sunt verba παρὰ τοὺς; nam aut genitivus ponitur comparativus aut sola praepositio. Quam exempli causa invenimus ib. XXXIX (med.): ὁπόταν ἄλλ' ἀντὶ βελτίω δόξῃ παρὰ τὰ γεγραμμένα. In **Xenoph. Cyrop. II 1, 13** in verbis ἀλλὰ παντὶ τρόπῳ δεῖ τῶν ἀνδρῶν θήγειν πάντως τὸ φρόνημα adverbium πάντως, quod iam Sauppio suspectum videbatur, iure expunxeris. Molestam verborum iterationem invenies in **Galenī περὶ**

ψυχῆς ἀμαρτ. VI 96: Sunt, inquit, qui quidem uni amico ubique fidem habeant, temere autem etiam duobus aut tribus aut quatuor, cum non reputent, *πότερον ἐνδέχεται πάντας ἀπτοῦς ἐκ μιᾶς αἰτίας κοινῆς ἀληθεύειν ἢ ψεύδεσθαι πάντας ἐκ μιᾶς αἰτίας κοινῆς.* Extrema verba explicandi causa ab aliquo in margine repetita postea in genuinorum seriem irrepserunt.

Proponimus nunc, ut ad finem perducatur haec disputationis pars, tres locos ex litteris latinis sumptos, quos eodem modo inquinatos existimamus. **Cic. de offic. I ep. 15** multus est de beneficiis reddendis et de dilectu beneficiorum acceptorum habendo secundum animum, studium, benevolentiam eius, qui bene fecerit. 'Multi enim, inquit, faciunt multa temeritate quadam sine iudicio, vel morbo in omnes vel repentino quodam quasi vento impetu animi incitati'. Non dubito subditiças iudicare notiones 'sine iudicio' et 'impetu animi'. Quarum altera explicantur verba 'temeritate quadam', altera verba 'repentino quodam quasi vento'. In **Tac. Ann. V 10** a me impetrare non possum, ut ab ipso auctore addita esse credam ad nomen 'Euboeam' explicantia verba 'Aegaei maris insulam' et ad nomen 'Piraeum' verba 'Atticae orae'. Ridiculae vero hae explicationes utpote in libro Romanis hominibus legendo, quibus quidem satis erat notum, et quo in mari Euboea sita esset insula et cuius orae esset Piraeus portus. Ac ne in **Tac. Ann. IV 11** quidem ipsi Tacito vindicem omnia verba, quae in libris traduntur. Nam quod legimus: 'Ordo alioqui sceleris per Apicatam Seiani proditus, tormentis . . . patefactus est', primum quidem non bene dicitur 'Apicatam Seiani' pro 'Ap. Seiani uxorem'. Accedit, quod vix quisquam hoc loco possit dubitare, cuius uxor fuerit Apicata, cum in fine ep. 3 narratum exstet Apicatam uxorem a Seiano domo esse pulsam. Itaque dubito an hic genitivum 'Seiani' in glossematum numero ponam.

III.

Quoniam de eis locis disserui, quibus aut aliquid errore omissum aut spurii aliquid additum videatur, nunc proponere

in animo est, quos locos invenerim aliis mendis turbatos. Atque hic quoque primum locum obtineat Lucianus.

In **Dial. mort. XXII 3** Menippus Cynicus Charontis cymba transvectus cum obolum solvere non possit, quod pecunia prorsus caret, Charonti iterum atque iterum poscenti naulum: *Ὁδοκοῦν*, inquit, *ἄπαγέ με αἰθις ἐς τὸν βίον*. Ad verba *αἰθις ἐς τὸν βίον* non *ἄπαγε* quadrat, sed *ἄναγε*; neque enim abduci sese vult Menippus, sed sursum educi. Conferas **Dial. mort. XXIII 3**: *ἀναγαγὼν τοῦτον αἰθις ποιήσον νυμφίον*. Eadem unius litterae mutatione opus esse censeo **Catapl. 2**. Ubi Charon omnibus rebus *πρὸς ἀναγωγὴν* praeparatis frustra dum Mercurium expectat, conqueritur eum a superis non redire, quamquam navis iam ter eo die *ἀναπεπλευκέναι* potuit: *ἐπεὶ*, inquit, *οὐδὲ ἡμεῖς ποτε αὐτόν, ἀπιέναι δέον, κατεσχέκαμεν*. Quid? hic nonne eadem praepositio restituenda sit, quae supra identidem occurrebat, et legendum *ἀνιέναι*. Accedit, quod paulo inferius opponitur compositum verbum *κατιέναι* in eiusdem Charontis verbis: *ἐπειδὴν δὲ καιρὸς κατιέναι, σχολῆ ... κατέρχεται*.

De sacrific. 5 agitur de poetis turpia de deis narrantibus. Qui a Musis inflammati canunt Saturnum exsecuisse *Ὀδρανὸν* patrem et regnavisse: *ἔβασίλευέ τε ἐν αὐτῷ*. Non verisimile est Lucianum voce *Ὀδρανὸν* altero loco personam divinam denotasse, altero (*αὐτῷ*) caelum ipsum. Forsitan scripserit *ἀντ' αὐτοῦ*.

Pisc. 20. Lucianus cum Philosophiae exposuerit se esse *μισαλάζονα καὶ μισογόητα καὶ μισοφειδῆ καὶ μισότυφον* (*μισῶ γάρ*, inquit, *πᾶν τὸ τοιοντῶδες*), etiam oppositam artem sese dicit accurate novisse, quae quidem *ἀπὸ τοῦ φίλου* habeat initium: *φιλαλήθης τε γὰρ καὶ φιλόκαλος καὶ φιλαπλοϊκὸς καὶ ὅσα τῷ φιλεῖσθαι συγγενῆ*. Ut supra scriptam videmus activam formam *μισῶ*, ita hic desideratur infinitivus activus *φιλεῖν*. Suspicio igitur Lucianum scripsisse *τῷ φιλεῖν ἐστὶ συγγενῆ*.

Levi etiam mutatione indiget **Pro lapsu inter salut. 2**. Errorem salutandi aliquis excusare vult, cum matutino tempore

amicum salvere iusserit voce *ὄγλιανε* usus pro *χαῖρε*: *Τὸ μὲν δὴ χαίρειν*, inquit, *ἀρχαία μὲν ἢ προσαγόρευσις, οὐ μὴν ἐωθλίμη μόνον οὐδὲ ὑπὸ τὴν πρώτην ἔντευξιν, ἀλλὰ καὶ πρῶτον μὲν ἰδόντες ἀλλήλους ἔλεγον αὐτό.* Non liquet, quid intersit inter primum congressum et si qui primum sese conspiciunt. Nimirum prior notio ad eos spectat, qui mane congregiuntur. Legendum igitur *ὑπὸ τὴν πρῶτ' ἄν ἔντευξιν.* **Histor. quomodo conscrib. 10** monet Lucianus, ne in historia conscribenda incundum pluris aestimetur quam verum. Atque etiam illud esse dignum quod commemoretur, ne iucundum quidem ibi esse *τὸ κομιδῆ μνησῶδες καὶ τὸ τῶν ἐπαίνων μάλιστα πρόσαντες παρ' ἐκότερον τοῖς ἀκούουσιν, ἢ μὴ τὸν συρφετὸν καὶ τὸν πολὺν δῆμον ἐπινοῆς, ἀλλὰ τοὺς δικαστικῶς ἀκροασομένους.* Haec, quae vulgo traduntur, esse corrupta neque explicari posse Fritzschius dicit iam Hemsterhusium vidisse (Anecd. p. 59). Suam autem ipse recipit coniecturam *τοῖς τὰ παρ' ἐκατέρων ἀκούουσιν*: 'Nimia laus magnae offensionis iis est, qui utramque partem audiunt, h. e. qui audiunt etiam contraria. Neque enim unum illi historicum, sed plures audiebant de bello Parthico disserentes.' At primum quidem hac mutatione nimia vis infertur traditis litteris. Adde, quod universus sententiarum ordo conturbatur. Nam, qui *τὰ παρ' ἐκατέρων* audiunt, eidem sunt atque ei, qui *δικαστικῶς ἀκροάσονται.* Itaque alterutram notionem removere cogaris, nisi leviori emendatione usus puncti signum posueris post *μάλιστα* ac porro correxeris: *πρόσαντες γὰρ ἐκότερον.* Quo facto hanc habebis sententiam: 'ne iucundum quidem est aut prorsus mythicum aut nimia laudatio; nam offensionis est utrumque audientibus, si quidem non tam vulgus ac multitudinem spectas quam eos qui cum iudicio audiunt.'

In **Amor. 32** Lucianus narrat se collocutum esse cum Charicle et Callicratida de diverso amoris genere et feminarum et marium. Charicles cum feminarum amorem laudibus extulerit, Callicratides contra marium amorem commendaturus primum quidem Cupidinis implorat auxilium his verbis: *μόνον ἡμῖν σύ, δαῖμον οὐράνιε, καιρίως παράστηθι . . .*

Ἔρωσ, οὐ κακὸν νήπιον ὁποῖον ζωγράφων παίζουσι χεῖρες, ἀλλ' ὃν ἡ πρωτοσπόρος ἐγέννησεν ἀρχὴ τέλειον εὐδὴ τεχθέντα. Cur Cupido hic appelletur κακὸν, non habeo quod dicam, quippe cum opponantur verba τέλειον εὐδὴ τεχθέντα. Quid? Κακὸν νήπιον illud nonne corruptum sit ex τέκνον νήπιον? In **Tox.** 8 postquam multus fuit Toxaris ipse in depingenda veneratione, quae a suis tributa sit Orestae Pyladaeque propter amicitiam, Mnesippus haec respondet: ὦ Τόξαρι, inquit, οὐ μόνον ἄρα τοξεύειν ἀγαθοὶ ἦσαν Σκύθαι καὶ τὰ πολεμικὰ τῶν ἄλλων ἀμείνους, ἀλλὰ καὶ ῥῆσιν εἰπεῖν ἀπάντων πιθανώτατοι. Extrema verba inepte esse dicta iam indicavit Guttentagius. Etenim disertos esse Scythas, non fuisse Mnesippo dicendum erat ad laudandam Toxaris orationem. Adde, quod singularis fere est dicendi ratio ῥῆσιν εἰπεῖν, quae non modo apud Lucianum, sed ne apud ceteros quidem scriptores invenitur nisi semel in Aeschyli poetae Suppl. 615: τοιάνδ' ἔπειθε ῥῆσιν ἀμφ' ἡμῶν λέγων. Ita vero mihi quidem videtur esse lectio corrupta, ut εἰσιν post ῥῆσιν propter litterarum similitudinem excideret eandemque ob causam ante ἀπάντων immisceretur infinitivus εἰπεῖν. Restitutis autem verbis ῥῆσιν εἰσιν ἀπάντων haec efficitur sententia: 'Non solum igitur clari sagittarii erant (sc. olim) Scythae bellicaque arte ceteros superabant, sed etiam dicendo (sc. ut tu modo docuisti) sunt optimi'.

In **Tox.** 30 unum verbum suo loco temere motum lucidum enuntiati sensum obscurat. Duorum amicorum alter Antiphilus in Aegypto, quod servus eius sacrilegii erat convictus, una cum eo in vincula est coniectus. Ubi cum macresceret et aegrotaret ita, ut facies et forma in deterius converterentur, forte evenit alteri amico Demetrio, ut de ea re certior factus in carcerem penetraret ad quaerendum amicum. Qui ubi inter alios captivos Antiphilum diu invenire non potuit, nominatim eum evocavit. Ὡς δὲ (Antiphilus) τὴν φωνὴν αἰσθόμενος ἀνεβόησε καὶ προσιόντος διαστείλας τὴν κόμην καὶ ἀπαγαγὼν τοῦ προσώπου ἀχμηρὰν καὶ συμπεπιλημένην ἔδειξεν αὐτὸν ὅστις ἦν, ἀμφω μὲν αὐτίκα πίπτουσιν ἰλιγγιάσαντες ἐπὶ τῇ ἀπροσδοκίῳ θέρᾳ, χρόνῳ δὲ Non habet

participium *προσιόντος* ita collocatum, quo referatur. Quod si reposueris post *αισθόμενος*, hanc habebis sententiam: 'Ubi autem voce percepta appropinquantis ipse quoque vocem edidit et cum capillos distinxisset et ex facie removisset utpote sordidos ac condensatos monstravit sese qualis esset, ambo confestim procidunt illi quidem obtusi inexpectato visu. Paulatim autem ...'.

In **Luc. s. asin. 30** Lucius in asinum mutatus narrat, quot quantosque cruciatus sit perpessus, cum a puero scelesto agitata gravia lignorum onera ferre cogeretur. Nam ubi onere et lassitudine confectus concidisset, vel maxima fuisse tormenta: *οὐ γὰρ ἦν καταβάντος τὴν χεῖρά μοι ἐπιδοῦναι καμὲ χαμόθεν ἐπεγείρειν ... ὁ δὲ οὔτε κατῆλθεν, οὔτε χεῖρά μοι ἐπέδωκεν, ἀλλ' ... συνέκοπτέ με τῷ ξύλῳ, ἕως ἐπεγείρωσί με αἱ πληγαί.* Verbum *ἐπεγείρειν* quamvis bene quadret ad alterum locum, priore loco non ita bene est positum. Neque enim pueri erat quasi e somno expergefacerere asinum, sed comiter humo tollere. Apuleius autem cum inferiore loco utatur verbo 'suscitare', priore 'suspendere', hic in graecis quoque verbis restituendum sit *ἐπαίρειν*.

His Luciani locis perlustratis liceat etiam similia ex aliis scriptoribus graecis collecta proferre.

Exigua litterarum mutatione sanari mihi videtur posse **Plat. Phaed. cp. 23**: 'Nondum demonstratum est, inquit Simmias, num anima futura sit post mortem. Fieri enim potest, ut homine mortuo anima dissipetur. Nam quid impedit, quominus ipsa quoque gignatur et alicunde oriatur et exstet *πρὶν καὶ εἰς ἀνθρώπειον σῶμα ἀφικέσθαι, ἐπειδὴν δὲ ἀφίκηται καὶ ἀπαλλάττηται τούτου, τότε καὶ αὐτὴν τελεντῶν καὶ διαφθειρεσθαι;*' Verbum *ἀφίκηται* videtur corruptum. Neque enim fieri potest, ut anima intereat, ubi in corpus advenit. Flagitatur verbum cum verbo *ἀπαλλάττηται* sensu congruens. Itaque suspicor Platonem scripsisse *ἀφιστῆται*, stolidum autem scribam infinitivo *ἀφικέσθαι* paulo antecedente adductum esse, ut idem verbum iterum poneret.

Levi mutatione indigent tradita verba etiam in **Eurip. Iphig. Taur. 97 sqq.** Orestes ab Apolline in Tauros

missus ad Dianae inde simulacrum auferendum deae templum conspicatus Pyladem, laborum socium, interrogat, quid faciendum sit; altam enim murorum munitionem conspici:

*πότῃρα, inquit, δωμάτων προσαμβάσεις
ἐκβησόμεσθα; πῶς ἂν ὄν μάθοιμεν ἂν;
ἢ χαλκότευκτα κληῖθρα μύσαντες μοχλοῖς,
ὄν οὐδὲν ἴσμεν; ἦν δ' ἀνοίγοντες πόλας
ληφθῶμεν εἰσβάσεις τε μηχανώμενοι,
θανοῦμεθ'.*

Hic in versu 97 recte pro *δωμάτων*, quod in libris manuscriptis exstat, correxisse videtur Kirchhoffius *κλιμάκων*, qua cum voce nomen *προσάμβασις* fere ubique coniunctum est apud tragicos poetas. At vero pro *ἐκβησόμεσθα* nonne legendum sit *εἰσβησόμεσθα* et pro *προσαμβάσεις* restituendum *προσαμβάσει*? Cui nomini cum *ς* assuisset temere scriba aliquis, postea, ne totum enuntiatum sensu careret, necesse erat mutari *εἰσβησ.* in *ἐκβησ.* Iam antea autem locum ita arbitror turbatum, ut versus 98 et 99 inter se commutarentur. Nam ut versum 99 cum Weckleinio pro spurio habeam, mihi non possum persuadere. Quos versus si suum quemque in locum restituerimus, virgula inter *ἂν* et *ὄν* posita haec evadet sententia: 'Utrum scalarum ascensu an aenea claustra vectibus aperientes intrabimus? Unde reperiemus ea, quorum (et scalarum et vectium) nihil scimus? Quodsi aperientes portas comprehensi erimus et introitum efficientes, moriemur'.

Galenus π. ψυχῆς παθ. III 10: 'Si socius' inquit, 'quem ad affectus in te observandos et castigandos tibi adsumpseris, certo temporis spatio interiecto nihil se dixerit eius modi in te invenisse, cave ideo credas subito te vacare affectibus, sed amicum tibi persuadeas aut neglegenter animum ad te non advertisse aut consulto tacuisse, sive te convincere verebatur, sive tuum in se odium movere nolebat, cum verum diceret: ἦ καὶ δι' ἄλλην τιν' ἴσως αἰτίαν, ἦν οὐκ ἐπαινοῦμεν ἡμεῖς. Verbum *ἐπαινοῦμεν* quid sibi velit, me nescire libere profiteor. Non tam interest, laudan-

dane sit causa silendi quam possitne cognosci ac perspicui. Itaque legere malim *ἐπινοοῦμεν*. Originem autem forsitan duxerit corruptela ex verbo *ἐπαυέσεις* paulo inferius oculis occurrente.

In **Gal. π.ψυχῆς ἀμαρτ. VI 98** ea, quae legimus: *Ταῦτα μὲν οὖν, ἔφη, εἰρησθαι κοινῇ πρὸς ἅπαντας, ὅσα προπετῶς ἀναφαινονται*, omnino intellegi non poterunt, nisi correxeris *εἰρησθω*. Idem **περὶ τῆς ἀρ. διδασκ. II 45**: ‘Carneadis, inquit, dicta multa sunt servata ab eius discipulis in librisque accumulata, neque autem ratio dissolvendi inventa est aut ab eis aut a quoquam eorum, qui post illum Academiae erant asseclae. At vero etiamsi nihil aliud, illud quidem ipse indicavit, *σοφίσματα* ea esse. Itaque quaerenda est eorum dissolutio: *Μοχθηρόν μὲν γὰρ τοῦτο, δικαιότερον δ’ ὅμως οὐ πεποιήκασιν οἱ γράψαντες μὲν αὐτούς, μὴ δηλώσαντες δ’ ἡμῖν, ὅποιοι τινές εἰσιν*. Carneades igitur quod suis proponens res expeditu difficiles *σοφίσματα* ea esse dixit, molestum illud quidem est. Nonne iam haec exspectantur: ‘Attamen aequius erat, quam quod ei fecerunt, qui eadem vobis traderent neque adicerent quidquam, qua ratione essent dissolvenda’? Hanc autem sententiam efficiemus una voce *οὐ* ante *πεποιήκασιν* mutata in *οὐδ* coll. cp. IV 50: *εὐθὺς δὲ δήπου καὶ τοὺς ἄλλοι τι λέγοντας ὧν εὖρες, ἐτοίμως γνωριεῖς*.

Idem in **Protrept. XIII 33** eos, qui imprimis corporis valetudini studeant neque ullam profiteantur artem, ad nullum omnino negotium bene esse aptos compluribus deinceps docet interrogationibus: ‘Qui corporis, inquit, robori student, num ea ipsa de causa sunt idonei ad agrum colendum? *Πάνο μὲν οὖν καλῶς ἢ σκάπτειν ἢ θερίζειν ἢ ἀροῦν ἢ τι τῶν ἄλλων τῶν κατὰ γεωργίαν δύνανται*. At forsitan sint apti ad bella gerenda? Euripidem vero audias haec loquentem: „Num bella pugnare poterunt discos in manibus tenentes?“ An adversus aestus sunt fortes et frigora ipsum aemulantes Herculem? Immo, adversus haec omnia infantibus sunt infirmiores modo natis’. Hic auctorem, cum ita ubique responderit ad ea, quae ipse interrogaret, ut rem prorsus esse diceret contrariam, ne primo quidem loco est verisimile scripsisse *πάνο καλῶς*,

id quod nisi per ironiam intellegi non potest, sed una littera mutata primariam reperiemus lectionem: πάνυ μὲν κακῶς.

Homerus poeta quod Hectori ad ingentis viri robur ingens illustrandum tribuit ἔγχεος ἐνδεκάπηχου, nemo est qui miretur. At quod in **Xenophontis Anab. IV 7, 16** Chalybes narrantur habuisse δόρυ ὡς πεντεκαίδεκα πήχεων, hunc locum ut integrum iudicem, non possum adduci. Neque enim quamvis robusta fuerit Chalybum gens, fieri potest, ut hasta tantae longitudinis unius viri manibus moveatur et dirigatur. Genuina lectio fuisse videtur ὡς ε' πήχεων (quinque cubitorum); quae lectio ita inquinata est, ut litterae numerali ε' temere praefigeretur littera ι, qua mutatione facta hastae in triplicem subito crescerent longitudinem.

Eodem modo corruptos suspicor duos locos ex latinis litteris sumptos. **Caes. de bello gall. VII 23** formam describit murorum Gallicorum. Quos ex trabibus directis, perpetuis in longitudinem, binos pedes inter se distantibus, quae introrsus revincirentur et multo aggere vestirentur, esse factos trabiumque intervalla grandibus in fronte saxis esse effarta. Ei autem trabium saxorumque ordini eiusdem generis ordines deinceps esse iniectos, dum iusta muri altitudo expleretur. Id opus et ab incendio lapide et ab ariete defendi materia, 'quae', inquit, 'perpetuis trabibus pedes quadragenos plerumque introrsus revincta neque perrumpi neque distrahi potest'. Quibus in verbis quo referantur 'pedes quadragenos', haesitant interpretes. Etenim sunt, qui perpetuas trabes eas, quae in interiore muri parte directas illas trabes revincirent, singulas 'pedes quadragenos' fuisse longas existiment ideoque corrigant 'pedum quadragenum'. Quam lectionem in Mengii editione repperi. Idem nescio quo adiumento nisus in initio capitis verba 'Trabes directae perpetuae' commutat in 'Trabes directae XIV pedum'. Quicumque autem tradita verba retinent non mutata, cum accusativum 'pedes quadragenos' ex verbis 'perpetuis trabibus' pendere non posse intellegant, eo numero id spatii notari contendunt, quod inter muri frontem interiacerit et inter trabes illas revincientes.

Sequitur, ut universus murus multo etiam crassior fuerit quam quadraginta pedes. Mira profecto murorum crassitudo! Accedit, quod duobus locis revinctas fuisse trabes directas Caesar dicit; nam in initio capitis cum haec exstent: 'Hae (trabes) revinciuntur introrsus et multo aggere vestiuntur', ad alteram nimirum revinctionem eamque interiorem haec verba spectant, ad alteram ea quae in fine capitis leguntur. Tam crassos igitur muros a Gallis esse exstructos cum vix liceat credere, numerum 'pedes XL' corruptum ad nos pervenisse suspicandum est. Ac vide, quam facile numerus XL oriri potuit ex XI. Undecim pedes priorem seriem trabium revincientium afuisse a fronte muri nihil sane habet miri. Stabilitur autem opinio, qua numerorum conturbationem esse factam putamus, eo, quod codd. Vind. C. et Bong. A. etiam incredibiliorem exhibent numerum: 'quadringenos' aut 'quadrigenos'. Monstruosam igitur in crassitudinem creverunt Gallorum muri sola scribarum socordia.

Alter huiusce modi locus invenitur in **Liv. XXIII ep. 44** Marcello ex urbe Nola contra Hannibalem erumpente 'aliquot primo impetu percussi caesique sunt: dein concursu ad pugnantes facto aequatisque viribus atrox esse coepit pugna. memorabilisque inter paucas fuisset, ni ingentibus procellis effusus imber diremisset pugnantes. Eo die commisso modico certamine atque iniritatis animis in urbem Romani, Poeni in castra sese receperunt; nam Poenorum prima eruptione percussi ceciderunt haud plus quam triginta, Romani quinquaginta'. Extrema verba haud sincere tradita esse plerique editores censuerunt varieque ea mutare conati sunt. Ac primum quidem cum H. J. Müllero crediderim spuria atque a librario quodam stulte repetita esse verba 'prima eruptione percussi'. Neque enim prima modo eruptione facta ceciderunt aliquot Poeni, sed etiam postea, cum aequatis viribus atrociter pugnaretur. Idem homo doctus de numero 'triginta' haec dicit: „Die Zahl kann nicht richtig sein, weil nach 45, 1 auf seiten der Punier mehr gefallen sein müssen“. In cap. 45, 1 enim Marcellus tertio die post suos adhortatur, ut 'victis

ante diem tertium' — instent. Victos autem modico illo certamine Poenos appellare non potuit, si apud eos caesorum numerus minor fuisset quam apud Romanos. Quod cum non fugeret editores, alii pro numero 'triginta' substituerunt 'trecenti', alii 'quadringenti'. At nimii videntur esse hi numeri. Nam tot militibus alterius partis caesis iam non modicum id fuisset certamen, sed propemodum ingens Poenorum clades. Suspicio ego quidem maiorem fuisse numerum Poenorum, qui ceciderant, quam Romanorum, at non tanto maiorem. Forsitan exciderit inter voculam 'quam' et numerum XXX signum L, ita ut scriptum fuerit: nam Poenorum ceciderunt haud plus quam LXXX, Romani L.

Liceat etiam de nonnullis locis agere latinis, qui alius alio modo sint inquinati. Caesar de bell. gall. V 5 iterum in Britanniam profecturus ubi cum legionibus ad portum Itium pervenit, 'cognoscit XL naves, quae in Meldis factae erant, tempestate reiectas cursum tenere non potuisse atque eodem, unde erant profectae, revertisse'. Meldi exigua sunt civitas in interiore Gallia inter Sequanam et Matronam fluvios sita; neque est, cur in eorum finibus naves illae XL sint aedificatae. Etiam si autem Caesar ab iis tot navigia ornari iussisset et si naves per Matronam Sequanamque in mare profectae tempestate ita essent reiectae, ut ad Ilium portum pervenire non possent, non est verisimile eas eodem, unde erant profectae, fuisse reversuras adversis fluminibus illis, in Meldos. Falsum gentis nomen in textum irrepsisse apertum est. Suspicio ego quidem Caesarem Venellis, quae est civitas mare accolens, a Sabino legato duobus annis ante victis imperavisse, ut magnum illum numerum navium exornarent.

Carataco, Silurum duce, capto Romamque ducto — ut refert Tac. in Ann. XII 38 — ambiguae Romanorum erant res in Britannia 'sive, amoto Carataco quasi debellatum foret, minus intenta apud nos militia fuit, sive hostes miseratione tanti regis acrius ad ultionem exarsere. Praefectum castrorum et legionarias cohortes exstruendis apud Siluras praeidiis relictas circumfundunt, ac ni cito nuntiis ex castellis pro-

ximis subventum foret, copiarum obsidione occubuissent'. Manca sunt verba 'ni cito nuntiis'. Nam quod Pfitznerus ita fere interpretatur, cito nuntios esse missos ad auxilium ex proximis castellis arcessendum, id una voce 'nuntiis' significari non potest. Quae difficultas ne Lipsii quidem coniectura 'citis nuntiis' tollitur. Wurmius autem participio 'dimissis' inserto longius abscedit a traditis litteris. Nipperdei vero coniectura, cum scribit 'cito nuntiis e castellis proximis missis' habet sane aliquid probabile illa quidem ex ductuum similitudine, at rem non satis illustrat, quoniam nuntii pauci esse solent neque liberare possunt inclusum exercitum copiarum obsidione. Haesito, utrum probem Bezzenbergeri emendationem 'cunctis ex castellis proximis', quamquam verba 'cunctis' et 'proximis' quodam modo inter se discrepant, an Tacitum scripsisse putem 'ac ni cito tum iis ex castellis proximis subventum foret'.

Perdifficilia sunt intellectu, quae leguntur in **Tac. Germ. ep. 38**: 'Insigne gentis (Sueborum) obliquare crinem nodoque substringere. Sic Suebi a ceteris Germanis, sic Sueborum ingenui a servis separantur. In aliis gentibus, seu cognatione aliqua Sueborum seu, quod saepe accidit, imitatione, rarum et intra iuventae spatium: apud Suebos usque ad canitiem horrentem capillum retro sequuntur, ac saepe in ipso vertice religatur'. Quae in libris manu scriptis tradita cum planam sententiam non exhibeant, ab aliis alia sunt coniecta. Hauptius pro 'retro sequuntur' corrigit 'retrosum agunt', Lachmannus 'recurvant', alii 'retorquere suetum', alii 'retorquent ac religant'. Quibus de coniecturis iam Halmius: 'Videtur, inquit, altius vulnus latere; nam loco indicativi infinitivum expectares suspensum ab aliquo adiectivo, quod sit contrarium praecedenti 'rarum'. Duo mihi quidem inesse videntur vitia in verbis traditis. Latet, opinor, in litteris 'retro sequuntur' totiens agitatam verbum 'retorquetur' cum insequentibus coniungendum ideoque ab antecedentibus graviore interpunctionis signo distinguendum. Optime autem coniungitur verbum 'retorquetur' cum verbo 'religatur' ita, ut hoc enuntiatum eodem paene sensu sit ac superius illud collocatum:

'obliquare crinem nodoque substringere'. Vocem autem 'canitiem' corruptum censeo ex 'canitie'. Hanc igitur habeo sententiam: 'In aliis gentibus . . . rarum et intra iuventae spatium: apud Suebos usque ad canitie horrentem capillum. Retorquetur ac saepe in ipso vertice religatur'.

In **Tac. Hist. I 65** quod de Lugdunensibus et Viennensibus haec dicuntur: 'unde aemulatio et invidia et uno amne discretis conexum odium', subtiliter opponuntur inter se verba 'discretis' et 'conexum', id quod sic explicat Heraeus: „Der Strom, der allein beide schied, bildete kein Hindernis ihres Hasses. Tac. spielt mit den Gegensätzen discretis und conexum“. At quae inest sententia in verbis 'uno amne discretis', eam nimirum Tacitus concessive subiungi vult sententiae 'conexum odium'. Itaque vocula 'uno' displicet, qua non augetur vis notionis amnis utpote coniunctionem gentium impediens, sed contrahitur. Proinde pro 'uno' substituas 'magno', ut hic sensus efficiatur: 'Lugdunenses et Viennenses quamquam magno amne Rhodano separantur, tamen inter se quasi coniunguntur odio'.

In **Hist. IV cp. 29** Tacitus narrat, cum Civilis ignes restingui iussisset, ne Romani Batavorum aciem conspiciere possent, clamores dissonos per tenebras esse ortos et concursus incertos nec ferendi nec declinandi fuisse providentiam: 'unde, inquit, clamor acciderat, circumagere corpora, tendere arcus'. Recte Heraeus negat 'arcum tendere' (den Bogen spannen) usurpari posse pro 'arcum aliquo dirigere', quippe cum neque in Batavorum belli narratione neque in Tac. Germ. cp. 6 inter Germanorum arma arcus commemorentur. Quamobrem reiecta illa Medic. cod. lectione ipse Lipsii recipit coniecturam 'artus'. Conferas autem quae paulo superius leguntur: Romani, conspicuam barbarorum aciem, et, si quis audacia aut insignibus effulgens, ad ictum destinabant'; conferas etiam Caes. b. g. cp. 25: 'uno ictu pilorum'. Quid? Tacitus nonne hic quoque scripserit 'tendere ictus'?

Catullus in carm. 64 v. 60 vestem egregie pictam de-

scribit et priscis hominum variatam figuris. In qua Ariadne Naxo in insula relicta apparebat Theseum in altum provectum procul prospiciens ut saxea effigies bacchantis magnisque curarum fluctuans undis, non flavo retinens vertice subtilem mitram:

Non contacta levi velatum pectus amictu.

Sensu hic caret participium 'velatum'; nam quae velatum habet pectus, ea contacta est amictu. Corrige 'nudatum' collato eiusdem carminis versu 129:

Mollia nudatae tollentem tegmina surae.

Leviore etiam mutatione sanetur **eiusdem carm. v. 83**. Cum diram illam dapem Minotauro Athenienses mittere cogerentur, ipsum Theseum dicit poeta suum corpus pro caris Athenis proicere maluisse quam talia Cretam

'Funera Cecropiae nec funera portarentur'.

Quae verba interpretes quamquam varie agitaverunt, tamen ex iis sanam sententiam non potuerunt extorquere. Alii enim sunt interpretati: „im Leichenzug, der doch nicht Leichenzug ist“ h. e. „ein lebendiger Leichenzug“; alii: „dem Tode verfallen, die aber Theseus dem Tode entrifs“; alii „ein Zug zum Grabe, ja nicht einmal dahin, sondern zu einem Tode ohne Bestattung“. Lucida vero fiet sententia, si pro iterata voce 'funera' altero loco posuerimus 'munera': „als dafs nach Creta Leichenzüge aus der Stadt des Cecrops und nicht (blofs) Gaben geschickt würden“.

In **Catull. carm. 66. v. 90** Coma Berenices, quae stellae locum obtinet a virginibus sese postulare dicit, ut priusquam corpora tradant unanimis coniugibus, iucunda ipsi libent munera, ab eis scilicet, quae casto petant iura cubili. Sed ab indignis nulla se praemia petere. Iam haec:

Tu vero, regina, tuens cum sidera divam
Placabis festis luminibus Venerem,
Unguibus expertem non siris esse tuam me,
Sed potius largis adfice muneribus.

Quid sint 'festa lumina', discrepant virorum doctorum sententiae. Ac Riesius et Ellis quo iure intellegant 'festis

diebus' referantque eam notionem ad *λυγγοναίαν* Aegyptiorum (Herodot. II 62), ego quidem nescio. Vocem enim 'lumina' pro 'oculi' positam videmus cum alias saepe tum in eiusdem *carm.* v. 30: 'ut tristi lumina saepe manu'. At pro voce 'dies' nusquam eam repperi usurpatam. Quid? cum antea munera postulata sint ab eis, quae casto petant iura cubili, reiecta ab eis, quae impuro adulterio se dederint, nonne verisimile est Catullum hoc quoque loco scripsisse 'castis luminibus', ut praedicaret Berenices castitatem?

Verg. *Aen.* II v. 557sq. ita leguntur in editionibus:

Iacet ingens litore truncus

Avolsumque umeris caput et sine nomine corpus.

Narrat Aeneas sese vidisse Priami mortem. Consedissee Priamum ferro cinctum una cum Hecuba mediis in aedibus ad aram penatium, cum Polites filius a Pyrrho fugatus ac percussus ante ipsos parentum oculos corrueret. Tum imbelli telo in filii percussorem coniecto senem ab eodem ad ipsa altaria tractum lapsantemque in multo nati sanguine esse occisum. Eum fuisse exitum illius, qui Troiam vidisset incensam Pergamae prolapsa, tot quondam populis terrisque superbi Asiae regnatoris. Iam sequuntur versus illi, quos supra commemoravimus. At num verisimile est Pyrrhum corpus interfecti Priami usque ad litus traxisse ibique id vidisse postea Aeneam? Quid? Aeneas pugnans de summae arcis fastigiis (cf. v. 457sq.) nonne inde potius conspexerit corpus prostratum ad aram, quae quidem erat nudo sub aetheris axe (cf. v. 512)? Adde, quod iam Servii suspicionem videtur movisse vox 'litore'. Qui quod Vergilium illud dicit respexisse, quod in Pacuvii tragoedia quadam legeretur 'Priami corpus ad litus tractum', immemor est versus 561, quo dicit Aeneas sese vidisse regem vitam exhalantem. Ac ne alterum quidem illud probari potest, quod Servius litus aut accipiendum existimat pro solo, ut I 225: 'litoraue et latos populos', aut ita, ut ostendat vastum iam esse litus, ubi fuerat Troia, ut III 11: 'et campos, ubi Troia fuit'. Censeo equidem Vergilium non scripsisse 'litore' sed 'limine', sive ipsius arae limen intellegimus

(cf. 567: limina Vestae), sive cogitamus de tectorum limine (cf. 508) aut de primo limine (cf. 469 et 485). Sed est alia etiam causa, cur in his versibus haesitemus. Nam trunco et avolso umeris capite commemoratis abundat vox 'corpus'. Tria sive in litore sive in limine iacere videntur: truncus, caput, corpus. Aberraverunt, opinor, olim scribae alicuius oculi ab alterius versus exitu ad alterum ita, ut extrema amborum verba inter se commutarentur. Quae suum utrumque in locum restituas, quippe cum in schol. Veronensibus (97, 19) prior versus ita citetur: 'iacet ingens litore corpus'. Quo facto haec efficitur sententia: „Es liegt der gewaltige Leichnam auf der Schwelle, ein von den Schultern getrenntes Haupt und ein namenloser Rumpf“.

In Verg. Aen. VII 131 haec leguntur:

Quae loca, quive habeant homines, ubi moenia gentis,
Vestigemus.

Quid sint 'moenia gentis' me nescire fateor. Collato autem versu 153:

Centum oratores augusta ad moenia regis
Ire iubet,

hic quoque scribemus 'moenia regis'.

In Hor. carm. I 32 in eis, quae in fine traduntur:

supremi
Grata testudo Iovis, o laborum
Dulce lenimen mihi cumque salve
Rite vocanti

voces 'mihi cumque' non bene possunt explicari. Nam quod sunt, qui contendunt Horatium veterum poetarum usum videri esse secutum laudentque Lucretii II v. 114 et V v. 312, Kiesslingio assentior, qui dicat: „denn cumque im Sinne des vulgären quandocumque 'jederzeit' zu fassen, verbietet schon der Sinn, der hier die Beziehung auf die vorliegende Aufforderung, ein latinum carmen anzustimmen, heischt“. Simile iudicium in adnotationibus exstat L. Mülleri. Alii alia hic coniecerunt editores. Veluti Bentleius emendavit 'mihi cuique', Peerlkampius 'mihi tuque'. Sed recte nullam ex omnibus coniecturis probat Kiesslingius nisi Lachmanni 'medicumque',

in qua L. Müllerus ipse quoque acquiescit. At displicet notionum congeries in verbis 'lenimen medicumque'; nam barbiton eo ipso, quod lenit labores, eisdem medetur. Forsitan scripserit Horatius 'nitidumque'; quae vox non multo abscedens a traditis litteris spectat ad lyrae speciem, cum vox 'dulce' ad id pertineat, quod chordarum sono efficitur.

In fine c. III 29 Horatius suum esse negat, si mugiat malus Africis procellis, ad miseram decurrere preces aut votis pacisci, ne suis mercibus augeantur avari divitiae maris:

Tum, inquit, me biremis praesidio scaphae
Tutum per Aegaeos tumultus
Aura feret geminusque Pollux.

Solus ex interpretibus Peerlkampius in voce 'aura' cum haereret, scripsit 'astra ferent'. Ceteri 'auram' opponi volunt Africis procellis et intellegi „eine Brise, ein leichter Lufthauch“. Quam ad interpretationem firmandam L. Müllerus dicit: ubi Ladae puerorum alba stella refulserit, concidere ventos (Hor. c. I 12, 30). At hoc loco de concidentibus ventis aut de leni aura cogitari non potest, cum Horatius sese ferri dicat per Aegaeos tumultus. Namque ubi sunt maris tumultus, locus prorsus non est leni aerae. Praeterea adfirmare videtur poeta eo sese confidere, quod suis ipse manibus ac viribus vitae suae navigium dirigat ac fortiter per omnia pericula ducat, id quod de se profitetur etiam Goetheus noster in carmine illo, quod inscribitur „Seefahrt“. Quid? quod ne ad gubernaculum quidem sedentem se fingit Horatius, sed biremis praesidio scaphae vehementem. Qui remis ipse scapham agit, is non nititur aera ad promovendum navigium, sed unda. Itaque hanc vocem suspicor pro voce 'aura' olim fuisse scriptam. Eadem autem vox metaphorice exstat usurpata in Hor. carm. II 7, 15:

Te rursus in bellum resorbens
Unda fretis tulit aestuosus.

Index.

	Seite		Seite
Luciani Abdicatus 6	4	Euripidis Iphig. Taur. 97	24
26	4	Galeni <i>περὶ ψυχῆς παθῶν</i> III 10	25
30	4	IV 15	8
Adv. indoctum 6	17	IX 49	9
Amores 32	22	<i>περὶ ψυχῆς ἀμαρτ.</i> III 71	10
Anacharsis 23	6	VI 96	20
24	6	VI 98	26
25	16	<i>Προτρεπτικός</i> XIII 33	26
27	8	XIII 34	10
Apologia pro merc. cond. 14	16	<i>περὶ τῆς ἀρ. διδασκ.</i> II 45	26
Bis accusatus 4	5	Platonis Phaed. 23	24
5	17	Polit. 35	19
19	17	Protag. 16	11
27	5	Plutarchi Caes. 20	10
Calumniae n. t. cr. 6	19	Xenophontis Anab. IV 7, 16	27
Cataplus 2	21	Cyp. II 1, 13	19
Convivium s. Lapithae 13	7	Apulei Metam. VI 3	15
13	8	Caesaris de bello gall. V 5	29
De luctu 2	7	VII 23	27
19	7	Catulli carm. 64, 64	31
De sacrificiis 5	21	64, 83	32
Dialogi deorum I 1	16	66, 90	32
VIII	7	Ciceronis De officiis I 15	20
X 1	15	Philipp. IV 6	12
XX 4	16	VI 3	12
Dialogi marini XIV 4	6	VIII 4	12
Dialogi meretricii VI 1	7	Tuscul. disp. V 11	12
IX 2	17	Horatii carm. I 32	34
XII 1	17	III 29	35
Dialogi mortuorum XXII 3	21	Livii XXIII 5	11
XXVII 3	16	XXIII 44	28
Hermotimus 40	18	Taciti Annal. II 21	13
Historia quomodo conscrib. 10	22	II 26	13
Lucius s. asinus 30	24	II 43	13
Muscae encomium 3	18	III 62	13
Phalaris A 4	8	IV 11	20
12	18	V 10	20
Piscator 17	19	XI 14	14
20	21	XII 38	29
Pro lapsu inter salut. 2	21	XII 51	14
Prometheus s. Caucasus 2	8	Histor. I 65	31
Toxaris 8	23	I 69	14
27	18	IV 29	31
30	23	IV 71	15
41	7	Germania 28	30
50	6	Vergilii Aen. II 557	33
Aristotelis <i>περὶ ποιητ.</i> 5	9	VII 131	34

Luciani A

Adv. ind
Amores
Anachars

Apologia
Bis accu

Calumnia
Cataplas
Conviviu

De luctu

De sacri
Dialogi

Dialogi
Dialogi

Dialogi

Hermotin
Historia
Lucius s
Muscae
Phalaris

Piscator

Pro laps
Prometh
Toxaris

Aristoteli

B.I.G.

M

Y

C

Grauskala #13

A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19

Seite

Taur. 97 . . .	24
παθῶν III 10 . . .	25
IV 15 . . .	8
IX 49 . . .	9
ἀμαρ. III 71 . . .	10
VI 96 . . .	20
VI 98 . . .	26
κόσ XIII 33 . . .	26
XIII 34 . . .	10
ρ. διδασκ. II 45 . . .	26
23	24
5	19
16	11
20	10
ab. IV 7, 16 . . .	27
rop. II 1, 13 . . .	19
VI 3	15
o gall. V 5 . . .	29
VII 23	27
, 64	31
, 83	32
, 90	32
ficiis I 15	20
p. IV 6	12
VI 3	12
VIII 4	12
l. disp. V 11 . . .	12
82	34
29	35
.	11
.	28
21	13
26	13
43	13
62	13
11	20
10	20
14	14
38	29
51	14
65	31
.	14
9	31
1	15
28	30
557	33
131	34